

deatur, quam quo pacto quæ virtutum & doctrinæ suorum pressa vestigia cernit, persequatur: excitatam de se expectationem non modo æquet, sed etiam superet. Suam enim in moribus & vita s̄vavitatem & modestiam, ac singularem in studiis diligentiam, in solennibus disputationum Juridicarum congressibus, disserendo, multoties, magna cum voluptate assidentium ac sua cum laude, satis superque nobis probavit. Ac ut alios quoque in arenam provocaret, non ita pridem conclusiones quam plures ex spinosa & utilissima *testamentorum & ultimarum voluntatum materia*, conscripsit, ac ingenii exercendi causa publice disputandas proposuit, easque in frequenti nobilissimorum ac clar. virorum consessu, solius *Dei præsidio*, omnium cum admiratione & applausu, ea dexteritate defendit, ut luculentissime ostenderit, se in castris Justitiæ militem exercitatissimum & earum controversiarum, quæ inter coryphæos *JCtorum* multis ab annis agitantur, egregie gnarum esse. Plane ut nobis persvadeamus, si, quod unice optamus atque precamur omnes, lucis huius usura ei concessa fuerit diuturna, Reip. Christianæ magno sit futurus emolumento. Hunc igitur nobilissimum ac doctissimum *W. E. a Brandenstein*, omnibus, quibus maxime commendari cupit, quibusque perfectæ nobilitatis splendor cordi est, de meliori, quod aiunt, nota commendamus, vereque testamur, in hoc viro inveniri omnia, quæ a summo ingenio, excellenti virtute & eruditione instru-

tissimo